

sed prorsus aliter quam ipse: Goveanus post decennium circiter librum suum retractavit, his verbis in præfatione operis usus: *Sententiam hujus legis ut ante me fortasse nemo, ita neque ante hunc diem ego intellexi.*

CAP. VIII.

De obligationibus, & præcipue de stipulationibus.

UT redeam ad institutum, & sermonem de rebus, modisque eas acquirendi prosequar, dicendum nunc nobis de obligationibus. Ex quatuor igitur obligationum generibus, quæ Romani olim habebant, quorum nomina erant re, verbis, literis, consensu, nobis non nisi duas, primam & postremam, reliquas esse invenio. Nam verborum obligationem quod attinet, dubium non est inde sic nominatam, quod certis interrogationum & responsionum formulis consisteret, quarum pronuntiatione civis Romanus captus & obligatus tenebatur: Sed si in proloquendo lapsus quis esset, ut cunque verbis clarissimis, & omnium maxime propriis, qualia vel ipse Cicero adhiberet, usus esset, omne hoc sacrum
pro-